

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 4145

**Auteur(s)** : Louis IX, France (roi)

**Bénéficiaire(s)** : Jean, doyen, Tours, Saint-Martin de Marmoutier (abbaye)

**Genre d'acte** : vidimus

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1242, mars

**Lieu d'émission** : Maubuisson

**Action juridique** : confirmation

**Langue du texte** : latin

## Analyse

En vidimant la charte de Guillaume de Minière par laquelle il vend ses terres au doyen Jean de Saint-Martin de Tours, Louis [IX], roi de France, approuve cette vente.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1162, p. 318-319.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus quod nos litteras dilecti et fidelis nostri Guillelmi de Minieres vidimus in hec verba :

Ego Guillelmus de Minieres, miles, notum facio universis, tam presentibus quam futuris, quod ego venerabili viro Johanni, Beati Martini Turonensis decano, vendidi septem bovinatas terre sitas in uno tenenti inter Rubeum fossatum et Saugueuse et pratum, quod dicitur Noa de Auteneio. Vendidi eidem decano terram que sita est inter vetus berium et novum, sicut se proportat a petra Pecoulee usque ad collem. Vendidi etiam prefato decano molendinum meum de Porta, cum aqua et piscaria, cum tota molta subscripta, hominum videlicet, terrarum et mansurarum. Isti tenent per hereditatem et sunt de molta predicti molendini : Johannes de Bosco et participes ipsius tenent quinquaginta jugera terre ; Guillelmus de Spina, duodecim jugera ; Orieux, XLta. jugera ; Robertus de Spina, IIIIor. jugera ; Richardus Forestarius, XIIIicim. jugera ; Simon de Jardino, viginti unum jugera ; Richardus Cornaie, decem et novem jugera (sed non est residens) ; Aalardus, tria jugera ; Radulfus de Castro, quinque jugera ; Guillelmus Magnus, quinque jugera ; Radulfus de Bosco, Vque. jugera ; Dionisius de Bosco, IIIIor. jugera et dimidium ; Radulfus de Coudreio, duo jugera et dimidium ; Rogerus Chappelet, duo jugera et dimidium ; Guiardus de Coudreio et frater ejus, XLta. tria jugera ; Odelina de Bosco Hugonis, quinque jugera ; Albericus Diguët, quinque jugera ; Richardus Gaiengier, tria jugera (sed non est residens) ; Galterus Roufin, tria jugera (et non est residens) ; Laurentius de Coldreio, IIIIor. jugera ; feodum de Forcheio, XXti. IIIIor. jugera (et non est ibi residencia) ; Gillebertus de Grosso brolio, duodecim jugera (et non est residens) ; Renoldus Cocus, tria jugera (et non est residens) ; filii Gilleberti de Coldreio, quinque jugera et dimidium. — Isti qui secuntur sunt bordarii, et sunt de molta predicti molendini de Porta : Baldericus de Hamello tenet unam bovinatam terre ; Guillelmus Dambo, unam bovinatam ; Anquetillus de Bosco, unam bovinatam ; Guillelmus Cementarius, sex jugera ; Galterus Cementarius, sex jugera ; Johannes Anglicus, sex jugera ; Radulfus La Guete, quindecim jugera ; Rogerus filius Avice, sex jugera ; Gaufridus le Paige, sex jugera ; Japlessent, quinque jugera ; Amelina la Chauvinnesse, IIIIor.

jugera ; Galterus Rebullet, sex jugera, Martinus de Puteio, sex jugera ; Cristianus Aloes, IIIor. jugera ; Garinus Costefort, unam bovinatam ; Garinus de Hamello, quindecim jugera ; Richardus de Hamello, quindecim jugera ; Ainfridus de Oscha, unam bovinatam ; Robertus Costefort, unam bovinatam ; Cristiana de Hamello, XVcim. jugera ; Alardus, sex jugera ; Soeloe, sex jugera ; Johannes Gebeline, sex jugera ; Gauffridus Anglicus, IIIor. jugera ; Robertus le Bouvier, sex jugera ; Radulfus de Castro, tria jugera ; Fouquetus de Bosco, unam bovinatam ; Radulfus de Bosco, quindecim jugera ; Crestiot de Bosco, sex jugera ; Radulfus Meditarius, unam bovinatam et amplius ; Guillelmus de Bosco, sex jugera ; Odelina la Blondesse, sex jugera ; Orrietus, sex jugera ; Leyardus, sex jugera. Et in omnibus istis, tam in molta molendini, quam in aliis supradictis, prefatus decanus et heredes ejus habebunt plenariam justiciam que ad me pertinebat. Ego nec in vendicione predicta, nec in aliquo quod ad eamdem vendicionem pertineat, nec michi nec heredibus meis, omnino retineo, neque feodum, neque domanium, neque justiciam aliquam, nec aliquid aliud. Immo volo et concedo quod ipse decanus et heredes omnia supradicta et ea que ad predicta pertinent de domino rege Francorum immediate teneant, prout eidem domino regi super hoc placuerit ordinare. Si vero aliquis forte reclamaret quicquam in aliquo quod ad predicta pertineret, ego et heredes mei id excambiare teneremur ad vallorem in propria hereditate mea. Hec autem omnia ego et heredes mei garantizare tenemur supradicto decano et ejus heredibus contra omnes, et, im presencia domini regis, hec omnia, prout superius continentur, promisi me firmiter servaturum, et volo ut heredes mei ad hec omnia firmiter observanda similiter teneantur. Dictum etiam dominum regem requisivi, ut vendicionem istam et conventiones istas, prout superius sunt expresse, concederet et confirmaret, et de predictis omnibus ego in manu domini regis me dessaissivi, qui sepredictum decanum, ad petitionem meam, saisivit manu propria de eisdem. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, presentem paginam sigilli mei munimine roboravi. Actum anno Domini millesimo CC° XL° primo.

Vendicionem et convenciones omnes supradictas Guillelmus a Mineriis, prout superius continentur, se fecisse coram nobis cognovit, et omnia suprascripta voluit et concessit, et de supradictis omnibus in manu nostra se dessaissivit, et litteras suas sigillo suo in suprascripta forma sigillatas in manu nostra posuit, et nos dilectum et fidelem nostrum Johannem, Beati Martini Turonensis decanum, clericum nostrum, ad instanciam et petitionem dicti Guillelmi, de omnibus suprascriptis, sicut in predictis litteris continentur, saisivimus, et eciam de ipsius Guillelmi litteris memoratis, volentes et concedentes quod predictus decanus et heredes ejus de nobis et heredibus nostris predicta omnia, prout superius sunt contenta, jure hereditario teneant et possideant, libere, pacifice et quiete, solvendo inde nobis et heredibus nostris in festo sancti Michaelis duos bizancios aureos annuatim. Nos autem et heredes nostri de predictis, cum nobis placuerit, hommagium habebimus, sed de eo nos sufferimus ad presens. Et ut hec omnia perpetue stabilitatis robur obtineant, presentem (sic) sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum apud abbaciam Beate Marie Regalis juxta Pontisaram, anno Domini millesimo CC° XL° primo, mense martio.